

SICHARDVS COMES AB EBERSPERG.



Sichardus ex illustri Carolomanni Boiorum regis familia oriundus fuit. Itaque in inferiori Boiaria maiorum suorum castella possedit, & ob plurimas corporis & animi uirtutes in magna autoritate fuit. Cum autem nullam commodam sedem haberet, Ebersperg arcem condidit, atque se & posteritatem suam ab eo denominauit. Arnolphus Cæsar eum mirum in modum ob uitæ integritatem dilexit, atque suum propinquum appellauit. Itaque cum postea Arnolphus contra Hungaros pugnaret, Sichardus ille strenuam ei operam nauauit, atque fortiter pugnans occubuit. Eius corpus Fruxinum (quod hodie Phrysingam uocant) delatum, cum uxore Gothina honorifice sepultum fuit, Anno Christi noningenitimo septimo.